



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 2. Charis de bona terra prospici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

sterilem iusti agrum, aut fertilem impij glebam.

§. II.

Charis de bona terra prospici.

Quanquam, vbi res fert, neque in hoc suorum obliuiscatur caelestis Pater. Et quedam est Paradisi imago, si homines cum locorum amœnitate consentiant. Hac de causa, quisquis alteri optimè vult, in optimo quoq; eum vult esse loco. Amauerat Iosephum, & Iosephi causa patrem ac fratres eius: *Dixit itaq; rex ad Ioseph: Pa-*

Gen. 47.
5.

ter tuus, & fratres tui venerunt ad te. Terra Egypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen. Ioseph verò patri & fratribus suis dedit possessionem in Egypto, in optimo terra loco, Ramesse, ut praeceperat Pharaon. Quod peculiari Dei erga Israëlitas cura factum sacra monstrat historia, cum fratribus suis dixerit Ioseph:

Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Egyptum. Biennium enim est, quòd cepit fames esse in terra: & adhuc quinq; anni restant, quibus nec arari poterit, nec meti. Præmisitq; me Deus, ut reseruemini super terram, & escas ad viuendum habere possitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. Dum

ergo

ergo cogitaret scelerum summus vindex, fame plectere mortales reliquos, quodammodo sollicitus fuit de seruis suis; certe terram illis prospexit, in qua, ceteris alibi inedia pereuntibus, alerentur; & quidem terram optimam.

§. III.

Terra sancta bonitas & amplitudo.

Quod postea longè apparuit manifestius, quando in eadem terra, tyrānica seruitute afflicti gemuerunt. Ait enim se descen-

Exod. 3, 8. disse Deus, vt liberaret populum Hebraū, & educeret *de terra illa, in terram bonam, & spatiosam, in terram, quæ fluit lacte & melle; ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Iebusæi.* Cuius beneficij magnitudinem ex sequentibus possumus affirmare argumentis. 1. Quia consceleratas illas gentes, ea terra indignas iudicauit; quas (etsi sine omni culpa potuisset inde eijcere, tanquam supremus Dominus) in flagitiorum pœnam ex illa regione sustulit. 2. Quia ex angusta habitatione, eduxit eos in terram Chanaan, quæ cum terra Gessen comparata fuit *spatiosa.* Quamuis enim eam S. Hieronymus *a Dan usq; Bersabee, vix centum sexaginta miliarium in longum*

S. Hiero-
nym.ep.